

DIVI THOMAE
AQUINATIS
DOCTORIS ANGELICI

ORDINIS PRÆDICATORUM

OPERA

JUXTA EDITIONEM VENETAM MDCCLV.

AD PLURIMA EXEMPLA AMPLA COMPARATA.

Edictio I. Marticensis de quibus pluribus mendis repurgata.

ACCEDUNT

FR. JOANNIS FRANCISCI BERNARDI MARIE DE RUBEIS

IN SINGULA OPERA ADMONITIONES PRÆVIAS

TOMUS TERTIUS

Complexus scriptum in Tertium



FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON

132663



SUPERIORUM PERMISSU

MATRITI: MDCCCLXIX

EX TYPOGRAPHIA VIDUÆ ELISÆ SANCHEZ.

Bx1749

• 76

1769-70

FR. JOANN. FRANC. BERN. MARIE DE RUBEIS,

ORDINIS PRÆDICATORUM,

ADMONITIO PRÆVIA,

in qua

- I. Specimen operis exhibetur quod Sancti Thomae vindices contra Guillelmum de la Mare inscripserunt Corruptorium corruptorii.
- II. Theses nonnullæ ab eodem Thoma propugnatae, cum articulis censura Parisiensi notatis conferuntur, & vindicantur. Ac primo de potentia Dei, quæ ad unum, qui conditus est, coarctari mundum videtur.
- III. De sola, quæ numerica vocatur, inter Angelos differentia rejecta.
- IV. Deque asserta eorundem Angelorum præsentia ad locum per operationem: quæ hujusmodi sit, explanatur.
- V. De rationalis animæ, aut mentis humanæ, salva unitate specifica, diversa perfectione: ejusdemque diversitatis origine.
- VI. De una forma substantiali in homine. Censura Roberti de Kildwardbi, & Joannis Perkant Archiepiscoporum Cantuariensium in Anglia, refutatur.
- VII. De Propitiatorio Arca, an illud Sanctus Thomas lapideum dixerit? Refellitur Petrus à Valle-clausa.

Censuram historicam, quæ plures in articulos, abs sciolis quibusdam ambitiosisque hominibus vulgatos propugnatosque, præhabito Magistrorum in Theologia consilio, Parisiis & Oxonii lata sunt à Gallis & Anglis Episcopis, tertio decimo æræ christiænæ sæculo, diligentiore opera enarravimus superiore prævia in Admonitione, Censuras litteras illas, quæ ab Stephano Tempier Parisiensi Episcopo anno 1277: datae fuerunt, cum per eas notata & confixa jactarentur non pauca Sancti Thomæ, sive philosophica, sive theologica dogmata, suppressi, & aboleri jussit, cepto sæculo insequente Stephanus alter de Bourretto ejusdem Ecclesiæ Antistes, si Thomæ quidem doctrinam tangerent. Neque in hocce judicio hæsit doctissimus Præsul: sed pro infectis revocatisque habendas esse litteras easdem, eo prudentissimo adhibito temperamento decrevit, quatenus eandem Sanctissimi Præceptoris doctrinam tangerent adferebantur. Abrogantes hujusmodi litteras loco memorato recensuimus, notisque illustravimus: earumque, cum in dubium vocatae fuerint, fidem, & authentiam pro virili tutati sumus. Hinc vero nomini, & famæ, & existimationi Thomæ Aquinatis, ejusque doctrinæ integritati satis superque consultum, nemo prudens, ac doctus inficias ibit.

Sed ahuc Præceptoris Angelici, ejusque doctrinæ celebritati nonnihil studii nostri litandum est: Superiore prævia in Admonitione editum à Guillelmo de la Mare opus recensuimus, inscriptum *Correctorium Fratris Thomæ*: editaque sine mora Apologias memoravimus, quas vindices in arenam adversus Lamaræum descendentes inscripserunt, *Correctorium corruptorii*, postremo nomine adversarii opus indicantes. Id genus vindicias egisse doctissimi Viri feruntur, Ricardus Clapoel Anglus, Joannes Parisiensis hujus nominis secundus, ac etiam fortasse Ægidius de Columna Romanus. Hujusce operis, aut plurium ejusdem argumenti operum Codices aliquos manuscriptos post Jacobum Echardum loco citato exhibuimus, à quibus differre videtur Codex membranaceus in 4to in Veneta Ss. Joannis & Pauli Bibliotheca inter plurimos alios latinos, & græcos, quibus abundat, adservatus.

Propriis ipsum oculis, favente humanissimo Dominico Berardello Bibliothecæ præfecto, lustrare licuit, in quo primum prostat Littera, quam Ven. Episcopus F. Petrus de Palude Ord. Præd. Doctor in utroque jure, & Magister in Theologia, ac Patriarcha Jerosolymitanus transmisit Fratri Hugoni de Balsa (de Vaucethan), Magistro Ordinis præfati, qui ab eodem consilium petebat per litteram: si quomodo, qualiter, & quando Fratres dicti Ordinis possint reddere, & anniversaria habere, retinere. Sequuntur plurimi Sermones qui de Mortuis in-

In III. Sentent. Tom. III.

eribuntur. Ac tertio demum loco habentur *Quaestiones Correctorii contra Corruptorium Fratris Thomae de Aquino Ordinis Praedicatorum*. Opera sunt in unum quidem compacta volumen, diverso tamen conscripta caractere; sequioris aetatis duo priora, ac remotioris utique postremum.

Incipit vero: *Circa quaestionem XI I. (primae partis art. 2.) dicitur in principali responsione, quod requiratur ad videndum Deum aliqua similitudo Dei, seu lumen gloriae. Desinit: Et sic potest responderi ad ea, quae obijciuntur contra Fratrem Thomam in prima parte, & in prima secunda: Et sunt 45. contra primam partem, & 10. contra primam secundae, & sic in universo 55. instantiae.* Natalis Alexander Dissertatione VI. in Historiam Eccl. Saeculi XIII. & XIV. de summa scriptisque caeteris S. Thomae Aquinatis, articulo 11. adnotat, Guillelmum de la Mare suo in libro quadraginta novem articulos ex prima parte summae, duodecim ex prima secunda, sexdecim ex secunda secunda reprehendisse. An ergo mancum & imperfectum fuerit opus, quod recensimus; an illas tantum, non alias vindicias egerit Auctor?

Ante quaestionum, quae in opere pertractantur, elenchum, nota legitur his verbis: „ Nota, quod ab „ Adam usque ad diluvium fuerunt anni 2242. A diluvio usque ad Abraham anni fuerunt 1174. Ab „ Abraham usque ad Moysen fuerunt anni 445. A Moysen usque ad Christum fuerunt anni 1635. A „ Christo usque modo, Pascha fuit videlicet die 7. exeunte Martio, 1285. summa 6775. Usque in finem „ mundi incertum habemus numerum. „ Primae, & secundae aetatis; ab Adamo ad diluvium, ac inde ad „ Abrahamum, computantur anni juxta chronologiam versionis graecae *TON 70.* Summa totalis 6775. vitio „ laborat: singulae namque summae simul collectae summam efficiunt 6781. Annus aet. vulgaris 1285. ince- „ debat insignitus cyclo lunae XI I. & cyclo solis VI. & littera dominicali G. unde factum Pascha anno „ 1285. celebratum fuit die 7. exeunte Martio, seu die 25. ejusdem mensis, Dominica, juxta computandi „ morem, qui aetate illo obtinebat. Annum a Paschate ad Pascha numerabat Auctor stylo veteri scriptisque „ eodem, aut completum opus innotescit post diem 25. Martii, a qua annus 1285. stylo veteri exordiebatur. „ Hinc animadvertit eisdem codicis, aut certe operis antiquitatem. Guillelmus de la Mare suum contra „ Thomam Aquinatam anno 1284. protulerat in lucem *Correctorium*: suasque anno insequente vindicias „ opposuit Auctor. Verba illa, die 7. exeunte Martio, peculiarem indicant modum numerandi dies mensis, „ qui post annum Christi millesimum frequentissimus occurrit in membranis. Sed hunc artamen longe verif- „ tiorum exhibet charta, ex Archivo Archiepiscopali Lucensi deprompta apud Doctissimum Muratorium in „ *Antiquitatibus italicis mediaevi Tomo III. Dissert. xxxv 11. In nomine Domini nostri. Regnante Domino nos- „ tro Desiderio Rege. anno Regni ejus Deo propitio primo, quinto die intrante Mense Novembrio, indictione VI. se- „ liciter* (anno Christi 757.) Expositionem subijcere liceat Rolandini, saeculi tertidecimi scriptoris, quam apud „ Gadingium aliosque cum aliqua verborum diversitate descriptam lego. In Tractatu *Nonalium* sive de arte No- „ tariae, haec habet verba: *De publicationibus instrumentorum.* in Editione Augustae Taurinorum 1607. p. 714. „ „ Ponitur dies in instrumentis diversimode. Uno modo secundum consuetudinem Bononiensem, ut in hoc „ exemplo, *prima die Maji (secundo die intrante Mayo)* & ita de singulis usque ad 16. Transactis autem „ „ 16. (diebus) ponunt hanc dictionem, 15. *die exeunte Mayo* (14. *die exeunte Mayo)* & sic de singulis „ „ usque ad penultimum diem; ubi dicitur, *penultimo die Maji;* & similiter dicitur, *ultimo die Maji.* Evita „ „ de singulis Mensibus, qui habent 31. dies. In illis vero, qui habent 30. dies; procedunt similiter usque „ „ ad 15. per hanc dictionem, *intrante*; & finitis 15. diebus primis, descenditur per alios 15. cum hac dic- „ „ tione *exeunte.* Sempertamen in prima die cujuscumque Mensis non ponitur *intrante*; & in penultimo non „ „ ponitur *exeunte.* Prima nempe pars Mensis ordine consueto dinumerabatur, sumpto principio a primo „ „ ejusdem die: pars altera initio sumpto, non a Kalendis, aut a primo die succedentis Mensis, ut apud Roma- „ „ nos, sed ab ultimo Mensis die, ordine retrogrado. Hinc vero *die 7. exeunte Martio* est dies 25. ejusdem Men- „ „ sis. Confule Mabillonium de Re Diplom. Lib. II. capite xxv 11. num. IV. & Ducangium in Glossario „ „ V. *Mensis intrans.* „ „ Opera dispendium non erit; elenchum quaestionum describere, quae in opere; quo de agimus, vocan- „ „ tur ad examen. *Isti sunt tituli quaestionum Correctorii contra Corruptorium.*

- „ 1. Utrum ad videndum Deum requiratur aliqua similitudo Dei.
- „ 2. Utrum intellectus noster cognoscat singularia.
- „ 3. Utrum scientia Dei dici possit futurorum contingentium.
- „ 4. Utrum omnia quae Deus nescit, sint idem in Deo.
- „ 5. Utrum universum possit esse melius, quibusdam suppositis.
- „ 6. Utrum mundum incepisse sit de articulis fidei.
- „ 7. Utrum in rebus incorruptibilibus sit solum unum individuum in una specie.
- „ 8. Utrum sit possibile esse aliam tertiam, quam istam.
- „ 9. Utrum Angelus sit compositus ex materia & forma.
- „ 10. Utrum sit possibile, esse duos Angelos unius speciei.
- „ 11. Quomodo genus & differentia accipiantur in rebus materialibus.

- „ 12. Utrum multiplicatio secundum numerum intendatur ab agente.
- „ 13. Utrum Angelus per naturam suam sit incorruptibilis.
- „ 14. Utrum Angelus possit transire ab extremo ad extremum, non pertransito medio.
- „ 15. Utrum sit impossibile quod aliquid in toto tempore praecedenti quiescat, in uno termino; postea in „ uno instanti illius temporis sit in alio termino.
- „ 16. Utrum omnes species, per quas Angeli intelligunt, sint omnes universales.
- „ 17. Utrum Angelus possit intelligere per species abstractas.
- „ 18. Utrum quanto Angelus est superior, per pauciores, & universales species intelligat.
- „ 19. Utrum secundum gradus naturalium data sint Angelis dona gratiarum.
- „ 20. Utrum Angeli mereantur praemium accidentale.
- „ 21. Utrum fuerit aliqua mora inter creationem Angeli, & lapsum ejus.
- „ 22. Utrum vis appetitiva in omnibus proportionetur apprehensivae.
- „ 23. Utrum apprehensio Angeli differat ab apprehensione hominis.
- „ 24. Utrum aliquis locus sit poenalis Angelo, vel animae.
- „ 25. Utrum informitas materiae tempore praecedat ejus formationem.
- „ 26. Utrum anima sit composita ex materia, & forma.
- „ 27. Utrum Angelus, & anima sint unius speciei.
- „ 28. Utrum anima possit habere sub se multa individua.
- „ 29. Utrum in homine sit una forma substantialis.
- „ 30. Utrum aliqua dispositiones accidentales praecedant formam in materia.
- „ 31. Utrum memoria sit in parte intellectiva, vel spirituali tantum.
- „ 32. Utrum intellectus sit eminentior quam voluntas.
- „ 33. Utrum quanto corpus est melius dispositum, tanto recipiat meliorem formam.
- „ 34. Utrum anima separata intelligat per species innatas, vel abstractas, vel influxas.
- „ 35. Utrum anima separata seipsam per seipsam intelligat.
- „ 36. Utrum anima separata intelligat per influxum specierum a divino lumine.
- „ 37. Utrum praemium essentiale respondeat quantitati charitatis, & non quantitati operationis.
- „ 38. Utrum aliquid omnino redigatur in nihilum.
- „ 39. Utrum superiores quidquid a Deo recipiunt, impertiantur inferioribus.
- „ 40. Utrum distantia localis faciat impedimentum in locutione Angeli.
- „ 41. Utrum omnes Angeli sint inaequales.
- „ 42. Utrum Angeli, qui sunt ... duorum ordinum, magis ... quam unus eorum cum aliis sui ordinis.
- „ 43. Utrum ens per accidens habeat causam.
- „ 44. Utrum omnes humani intellectus sint unius gradus in ordine naturae.
- „ 45. Utrum qualibet additio ad formam corpoream variet speciem.

Contra primam secundae partis Instantiam.

- „ 46. Quae requirantur ad beatitudinem, & quomodo.
- „ 47. Utrum in anima humana remaneat esse compositi per destructionem corporis.
- „ 48. Utrum resumpto corpore, beatitudo crescat intensive, vel extensive.
- „ 49. Utrum homo sit dominus sui actus.
- „ 50. Utrum homo per rationem determinet se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel a p- „ parens
- „ 51. Utrum imperare sit actus rationis, praesupposito actu voluntatis.
- „ 52. Utrum primum movens in viribus animae ad exercitium actus, sit voluntas.
- „ 53. Utrum voluntas sit subjectum libertatis, & ratio sit causa.
- „ 54. Utrum ratio sit principium mali actus.
- „ 55. Utrum Matrimonium fuerit in veteri lege sacramentum conjunctionis Christi & Ecclesiae.

Constitutus ab Angelico Praeceptore conclusiones in examine hujusmodi quaestionum, quae ad utram- que Theologiam, naturalem, ac revelatam, & ad Ontologiam pertinent, vellicare, & refellere nisus est Guillelmus Lamaræus. Vindicias pro Aquinatis doctrina agit Auctor, ea methodo servata, ut primo loco adversarii calumnias, ut vocat, diligentissime referat; tum Aquinatis theses in invidiam traductas germano sensu exponat, luculentioribus in medium productis testimoniis: ac demum objectiones refellat, longue disquisit ostendat damnatas propositiones, si quae allatae sunt. Specimen operis, quod exhibeo, vindiciarum specimen praestat, quas Viri doctissimi pro virili egerunt contra Lamaræum.

II. Nonnullos mihi liceat feligere praecipuos articulos, censoria Parisiensis virgula olim notatos, adhuc

tosque contra Thomæ doctrinam à Lamaræo; eosque diligentissime conferte cum Thomisticis dogmatibus iis, quæ litteræ cortice inspecto, consona videntur, ut collatione facta, severoque instituto examine, splendidissime innotescat demum, nihil in ipsius Aquinatis doctrina inesse quod vel ex levi etiam suspicione ad Parisiensem redigi censuram potuerit. Age, rem ipsam aggrediamur.

Ex censura Parisiensi.

34. Quod prima causa non possit plures mundos facere. Apud Eimericum in Director. P. 2. p. 238. col 2. n. 7. Quod Deus non possit alium mundum facere quia quidquid sit, ex præjacente materia fit: iste autem mundus constat ex sua tota materia.

Ex S. Thoma P. I. Q. XLVI. r. A. 3. ad 3.

Dicendum, quod Mundus constat ex sua tota materia. Non enim est possibile, esse aliam terram quam istam, quia omnis terra ferretur naturaliter ad hoc medium, ubicumque esset. Et eadem ratio est de aliis corporibus, quæ sunt partes mundi.

Animadversiones.

1. Quod in articulis damnatis notum tritumque adsumitur axioma: Quidquid sit, ex præjacente materia fit, quemadmodum in secundis creatisque causis locum obrinet, ita ad increatam supremam causam si transferatur, purum putumque Ethnicorum turpe commentum est, passim in operibus suis ab Aquinate convulsam.

2. Latissimum animadverte, quod articulos damnatos inter, ac innoxiam Thomæ doctrinam intercedit discrimen. In illis Mundus iste dicitur ex tota sua materia constare, scilicet præjacente, quam minimè Deus considerit; quo posito pagano, & impio principio, æque paganum, & impium, & falsum colligitur consequens: quod prima causa, vel Deus non possit plures mundos facere. Aquinatis nostri, & Christianorum certa sententia est, mundum constare ex sua tota materia, ex illa nempe quam pro suæ consilio sapientiæ voluit Deus efficacissimo imperio producere ex nihilo, produxitque. Hinc damnatis articulis ex diametro adversatur, quæ fluit inde conclusio.

3. Quisnam præterea germanus haberi debeat, quem Thomas intellexerit verborum illorum sensus, Mundus (inquiens) constat ex sua tota materia, à Deo scilicet creata; ex argumento contrario exculpi debet, ubi Mundus cum sua materia comparatur huic homini habenti formam in materia. Res imò non ita se habet. Neque enim hic homo tota potitur materia quam homo habere potest: homo (inquam) universim acceptus pro humanæ naturæ individuis, quæ hactenus in mundo existere ac deinceps extabunt; cum ex adverso Mundus iste à Deo creatus constet ex sua tota materia, quantam supremo homini condere placuit ad ejusdem mundi res omnes corporeas, aut simultaneas, aut successivas, juxta naturæ cuius sum efformandas. Hinc splendidissima lux effulget, qua innotescit, eam ob causam quæ sumitur ex materia, qua mundus iste constat, possibiles non esse plures mundos, illius adinstar possibilitatis, qua plura esse possunt naturæ humanæ individua.

4. Verumenimvero ad insciam, & ad impietatem pertinet, sic constrictam & coarctatam existimare Dei vim, & potentiam, ut nihil præterquam quod semel fecit, possit efficere. Valet imò creaturas alias condere, tum spirituales, tum corporeas, quæ in hoc mundo non extant: adeoque valet alia, & alia primigenia elementa, & aliam aliamque materiam moliri & procreare, ex quibus alius, & alius mundus confurgeret. Valet etiam rebus ipsis, quæ conditæ sunt; si vellet quidem pro consilio suæ sapientiæ, vel molis ac numeri, vel qualitatis & perfectionis addere incrementa: eademque in alium redigere ordinem, novumque sistema. Hæc passim docet omnia S. Thomas. Patricæ & compendiosè collecta primum profero quæ I. P. Q. xxv. Art. 5. ad 3. habentur: Licet iste cursus rerum sit determinatus istis rebus quæ nunc sunt; non tamen ad hunc cursum limitatur divina sapientiæ, & potestas. Unde licet istis rebus quæ nunc sunt, nullus alius cursus esset bonus, & conveniens; tamen Deus possit alias res facere, & alium eis imponere ordinem. Alia addo verba, quæ Art. sequente 6. ad 1. prostant: nempe: Potest dare rebus à se factis meliorem modum essendi, quantum ad accidentalia, licet non quantum ad essentialia. Hæc assero libentissimè, quibusdam etiam placitis utique adversa, quæ ex illa ab Leibnizio invecata, à Wolffio illustrata, Monadum & Harmoniæ præstabilitæ philosophia eliciuntur, ac magna cum laude, plus ut puto quam par est, excipi solent.

III. Parisienses articulos jam profero illos, qui ad eam pertinent, quæ inter separatas intelligentias, ut ajunt, sive Angelos constitui differentia debet. Mirum sane, quantum ingenii, ac studii impensum fuerit, ut inde Aquinatis doctrinæ constaretur invidia.

Ex Censura Parisiensi.

81. Quod quia Intelligentiæ non habent materiam, Deus non potest facere plures ejusdem speciei.

96. Quod Deus non potest multiplicare individuum sub una specie, sine materia.

97. Quod individua ejusdem speciei differunt sola positione materiae, ut Socrates & Plato.

Animadversiones.

1. Ad illud controversiarum genus, quas in utramque partem agitari in scholis, & pro alterutra dirimi parte integrum est, quæstio spectat ab Aquinate mota, de Angelorum inter se discrimine, deque intercedentis discriminis modo, ac ratione. Hac de re nihil divinitus Ecclesiæ catholicæ traditum est, quod hanc beatorum Angelorum differentiam, qualis ea demum constituenda sit, clare deregat, ac patefaciat. Amplissimum inter latinos Patres testimonium fert Augustinus, qui contra Priscillianistas ad Orosium capite X. num. 14. Esse itaque Sedes, ait, Dominationes, Principatus, Potestates in caelestibus apparatus, firmissime credo, & differre inter se aliquid indubitata fide teno: sed quanam ista sint, & quid inter se differant, nescio. Par est Joannis Damasceni sententia, ornatissimi ex Ecclesiæ Græca Theologi, Lib. II. de Fide Orthodoxa cap. III. Quoad essentialia, inquit, æquales ne sint Angeli inter se an dispares, compertum non est: solus hoc scit Creator illorum Deus, qui universa explorare novit. Hinc sapienter à Theologis nostris animadversum, vel quæstionem hanc apud veteres Patres prætermisissimam esse: vel si quidpiam videatur ab iis adsertum, quod significet aut essentialia, seu speciei unitatem, aut certe graduum, seu collustrationum distinctionem, id facile exponi posse, ac utrique adaptari opinioni, sive quæ numericam tantum in Angelis differentiam, sive quæ numericam simul & specificam in omnibus agnoscat, ac propugnat. Iniqua fuerit ergo Censura Parisiensi, opinioni ab Aquinate selectæ notam si inusserit, quam doceri ac defendi, haud verat Scripturarum auctoritas, neque traditio Patrum, neque ullum Ecclesiæ decretum, neque frequentior inter Patres consensus.

2. Quæstio duplex distingui adsolet, altera quæ factum, & altera quæ rei possibilitatem versat. Magni nominis viri inter discipulos Thomæ opinantur, nil aliud ab Angelico Præceptore propugnari, nisi reipsa Angelos omnes, quotquot à Deo creatore conditi sunt, numero simul ac specie inter se differre. Ita sentientes memoro Capreolum, Ferrariensem, Bannezius, Estium, Sylvium. Permissam vero ab Aquinate Angelorum, qui numero tantum differant, possibilitatem textu quodam putant illi provehi posse, qui legitur in opusc. xv. contra Averroem de unitate intellectus, his verbis concepto: Valde ruditer argumentantur ad ostendendum, quod Deus facere non possit quod sint multi intellectus ejusdem speciei, credentes hoc includere contradictionem. Dato enim quod non esset de natura intellectus quod multiplicaretur, non propter hoc oportet quod intellectus multiplicari includeret contradictionem. Nihil enim prohibet aliquid non habere in sua natura causam alicujus, quod tamen habet illud ex alia causa. Sic ergo intellectus, si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen fortiri multiplicationem ex supernaturali causa. Differant ergo reipsa celestes intelligentiæ & numero, & specie (inquunt illi, allatam Thomæ doctrinam ad institutum tractantes) propterea quod naturali carent illius differentiæ principio, qua ab sese individua separantur, scilicet materia, vel ordine ad multiples materiae portiones: nondum sane contradictio apparet, qua Angelorum multitudo solo numero differentium impossibilis adferri debeat. Id unum ergo si voluerit, docueritque S. Thomas, jam ejus doctrina totis parafangis distat ab articulis Censura Parisiensi notatis: utpote qui tum rem ipsam, quæ facta est, tum etiam possibilitatem insciantur.

3. Haud me quidem latet, hanc præstantissimis Divi Thomæ discipulis dissonam videri menti ejus interpretationem, simulque abludentem à vero allegati textus expositionem. Sumitur (inquunt) sententia Aquinatis ex natura actus, quem irreceptum vocat, haud umquam ordinabilis ad varias multiplicesque portiones materiæ adeoque integram totius speciei perfectionem in uno obtinentis individuo. In eo vero contra Averroistas Opusculo argumentationis potius modum, quam rem ipsam arguit, & insequitur, ut ejus verba evincunt: Quod non tantum dicimus, inquit, propter propositum, sed magis ne hæc argumentandi forma

Ex S. Thoma P. I. Q. XLVI. r. Art. 4.

Duplex distinctio invenitur in rebus: una formalis in his quæ differunt specie: alia vero materialis in his quæ differunt numero tantum. Cum autem materia sit propter formam, distinctio materialis est propter formalem. Unde videmus, quod in rebus incorruptibilibus non est nisi unum individuum unius speciei: quia species sufficienter conservatur in uno.

Q. I. Art. 5. Ea quæ conveniunt specie, & differunt numero, conveniunt in forma; sed distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma, sequitur quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei.